
Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Theologorum Ordo.
Promotiones a. 1603.

Scroboszewii Jacobi: Trium Clariss. Viror.
Basilii Golinii, Staniel. Bąthcovii,
Adami Falcii laureae doctorales
S. Theologiae.

Crac. in off. typogr. Lazari. 1603.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001073


V
B
J
C


TRIVM CLARISSIMORVM VIRORVM,

BASILII GOLINII, Præp: S. Flor:
STANISLAI BATHCOVII, Cā: C.
ADAMI FALECII, Decani S. Flor:

Laureæ Doctorales S. Theologiæ,

Quibus in Alma Academia Cracouiensi publicè ornabuntur 30. Ianuarii, Anno Domini 1603.

A. M. Jacobo Scrobisseuio Iambis prætextæ.



CRACOVIE,
In officina Typographica LAZARI.
Anno D. 1603.

AD ILL^mum^ ET R̸DIS^mum^

D. BERNARDVM Macieouium,


EPISCOPVM CRACOVIENSEM, DVCEM SEVERIENSEM,

Academiæ Cracouienſis Cancellarium & patronum.

CLeri gemma ſacræq; norma legis
Et vitæ, Cathedra in Craci refulgens,
Bono cui patriæ ſuauius nil,
Gentis gloria Macieiouiorum.
Decus noſtræ Academiæ, benigne
Fautor. te ingenii ambiunt Patronum
Hi, quos Phœbus amauit & Camœnæ,
Pangunt magna, ſeu minutiora,
Conatus quia nullius repellis,
Naturæ bonitate victus alta.
Hæc contantem animum meum excitauit,
Suadens mittere non ſatis politum
Auguſtum ad penetral tuum, hac Iambum
Die, læticiæ modos ſonantem
Nobis, noſtræ Academiǽq;, cuius
Cancellarius idem es & patronus.
Sacris auſpicio en tuo coronis,

Cingunt tempora, quos Deus vocauit.
Hoc solatiolum doloris alti.
Hanc ergo tibi, nomini tuoq́;
Ne aspernare, precor, dicatam opellam,
O sublime caput, faueto cœptis.
Si perges Academiam tueri,
Et me particulam ipsius fouebis.
Seclo dulce decus vale perenni.

M. Iacobus Scro-
bisseuius.



LAVREÆ

LAVREÆ DOCTORALES Theologicæ,

SEmper ne torpeſces anime ? ſomno velut
Preſſus profundo ducis alta ſilentia.
Deiectus hærebis, nec excitabere,
Cedentis argumenta ſi domeſtici
Doloris irrequietus & nunc colligis.
Magna eruditione florentes viros,
Virtutis antiquæ ſenes, catos patres,
Intaminatis inclytos honoribus,
Craci Lycæo ſæua, crudelis, ferox,
Vno quaſi impetu ruens mors abſtulit.
Scientiarum domina THEOLOGIA ſuis
Orbata alumnis ingemuit. at pondere
Dulci leuatam ſe cathedra condolet.
Si ſemper vrges hæc, recrudeſcit dolor.
Sed mitte : lapſa in integrum quiſnám potis
Reſtituere ? vices ſic eunt mortalium.
Quin age, camœnas lætiores apparans,
Alacriore tange plectrum pollice.
Rerum ſupremus ecce Rector, & Parens,
Süauè prouidam admouens rebus manum,
Natos piis nunc ſufficit parentibus :

Natos patrum ſublimè callentes viam,
Scientiæ, ac integritatis æmulos.
Nec flamma tantum prodit ignem lumine,
Phœbum diem nec agens coruſcus Lucifer:
Quantum priorum vim ingenI, atq; conſilI,
Veræq; virtutis propago hæc exprimit.
Ergo refundit alma pignoribus ſuis
THEOLOGIA, ſupremũ quòd habet hîc præmiũ:
Ornamen & virtutis, & ſcientiæ,
Ponit ſuper caput coronam, non dies
Infeſta, non viciſſitudo, quam auferant.
Procul ſit, ô procul, vetuſta Græcia,
Laudans coronas ore pleno ludicras.
Cuius per aures fama non iit frequens,
Olympici ſudoris atq; præmii?
Huc curſus omnium, ardor, & conamina:
Vates ſacri, dominiq; terrarum graues,
Certare properabant: modis illi, pede hi,
Cæſtu, rotis, equiſq; Thule ab vltima,
Victoris olea nobile ornabat caput.
Expauit olim Perſa ſæuus, audiens
Certamen oleæ ſuſcipi ergô Olympicum,
Gemuitq; Mardoni inquiens, papæ, hiſce tu
Nos auſus es committere, quibus nec fames
Auri, nec vlla edit cupido pectora,
At ſola virtus ad labores excitat?
Huc Philotheori, nec lucellis inhians

Nec

Nec vulgi inanes quæritans rumusculos,
Sublime genus, ibant, viros visum modò.
Authore Phœbo Pythia dein iactitant
Lauros, & heroas, superba limina
Dei, Sibyllæq; antra sortis nuncia
Ambiguæ, & auro diuitiq; munere
Aras rigentes, atq; reuolatu pari
Terræ notantes vmbilicum aues Iouis.
Quid laurus, aut magis placens minoribus
Victoris ornans inclytum caput esculus?
In sessimonio Cleonæûm patrum,
Tristi querelas denotantum tegmine,
In Lernæ Ophelten gramine quia anguis bibit
Præcisum, & hic sunt, quos iuuat præstrenuè
Legisse puluerem, Herculis Nemeum ad nemus,
Gestit reuinctus, victor apio tempora,
Quem non inanis pinus exciuit virum,
Certare summis Istmia trieteride?
Victricia Istmos signa Romulea frequens
Spectauit, optimi hausit & vocem ducis:
Vocem corona ac tæniis gratam magis,
Præco strepente ludicro pronunciat
Græcos, Philippus quos premebat, liberos;
Inuicte, quid enim non potes amor gloriæ?
Non clariores bellicosior licèt,
Dedit coronas gens Quirini strenuis.
Nam quis quis obsidione clausos soluerat

Ciues,

Ciues, seü dextra seü vi consill
Ferebat apice gramen euulsum loco,
Haud erubuit hocce Fabii celsum caput,
Vrbem quòd obsidione liberauerat.
A ciue præliando seruatus suus
Ciuis, salutis & precI testem dabat
Quernam coronam; victus antiqui indicem.
Quicunq; verò primus hosticis pedem
Manumq; castris impulit, seü mari
Tentando Martem primus in nauem insilit,
Seu occupauit primus arcem aut mænia:
Gestabat auream coronam vertice.
Illustre Faustus, maximi germen patris,
Tuas, Solima, beata quondam ciuitas,
Quòd primus arces occupârat splendidas,
Ductore Magno, lætus hoc tulit decus.
Idem triumphantis fuit & honos ducis.
Hoc Roma splendescebat olim lumine.
Noui sed obscuratum ab ortu syderis,
Stetêre deceptis breui sua gaudia.
At verò cunctarum domitrix gentium
THEOLOGIA, (quis enim iacet terræ angulus
Sub iura quem non illa miserit sua?)
Mittit coronas perpetim victoribus,
Ac dulcibus alumnis, nec vnquam mittere
Cessabit, æterno manentes sæculo.
Semper nouum sit ebur, quod aura Tiburis

Pascit,